



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.  
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, A. M.DC.XXIX**

Dominica Palmarvm.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56232)





virentibus folijs insignem ore deferens, postliminio reuerfa est; vnde colligere licebat Deum hominibus iam esse reconciliatum, & aquas diluuij per orbem sparsas esse imminutas. Hodierno die hanc figuram impletam videmus. Vera namq; illa columba Iesus Christus, finito iam condemnationis nostræ diluio, egressa iam olim cælo, vel, si mauultis, sacro virginis utero, vera Noe arca; hodie ex agris, ramis cooperta, in clarum, remissionis, gratiæ, pacis, reconciliationis, misericordiæque signum, reuertitur. Vnde præfagire licet & augurari, diluuium & aquas diuinæ iustitiæ iam esse imminutas. O diem felicem, & celebri victoria nobilem! ô diem lætum & iucundum! ô beati rami (qui nobis irrefragabiles testes eritis, malorum nostrorum finem iam aduenisse, & quæ certa redemptionis nostræ signa, satisfactionis nostræ arrhæ, reconciliationis nostræ indicia futuri estis) vestras ego hodie laudes & triumphos canere, merita celebrare, deprædicare præconia decteni, modo tu Paraclere Spiritus intellectus aciem exacuas, tuque regina cælorum precibus tuis optulere: idcirco tibi omnes Aue Maria decantabimus.

3. Philosophus Heraclitus, tantum naturæ præceptis imbutus cum miseriis & ærumnis quas hoc in mundo cernere est, cognitatas haberet, sibiq; ante oculos poneret, adeo animo commotus fuit, vt toto vitæ tempore easdem deplorarit. Ac merito quidem: neminem enim esse putem, qui cum molestias, calamitates, & mala quæ in mundo reperiuntur, peccatis intueatur. rîtu audeat dissuere, sed non perpetuo fletu Heraclitum imiretur. Testes nobis erunt filij Israel: qui cum se in Babylonica captiuitate versari viderent, miserijs & ærumnis circumualatos, perpetuo in gemitu, singultibus & lachrymis vitam trahebant: vnde Psalmista; *Psal. 136. super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recer: aremur tui Sion.* Et sane quomodo quis apud hospitem lætos agere dies posset, qui varijs cum iniurijs prosequatur, eiusq; votis plurimum repugnet. C. Plinius cum natura olim expostulans eandem arguebat, quod ceteris animantibus vt mater,

soli homini, vt nouerca existisset: sed longè mihi credite, meliori cû ratione id de mundo dicere potuisset; ipse namque ceterorum animalium benignissimus nutritus est, erga hominem vero vt inimicum & crudelem tyrannum sese gerit. In quam rem præclaros conceptus producam.

Pestillens ille serpens regulus soli homini nocet, quem solo visu etiam inficit: cetera vero animalia illi innoxia sunt, & ab eius veneno immunia. Mundus quoque pestilens illa bestia, venenoso hoc serpente infinitis partibus venenosior, bestijs non nocet; at hominem ita contagio suo inficit, vt consuetudine sua enecet, & visu etiam venenato interimat.

Crudelis ille tyrannus Pharaos Israelitas per diem laboribus defatigabat, & ærumnis conficiebat, circa vesperam vero flagellis terga eorum lacerabat: *flagellati que sunt qui præstant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonu.* Eadem omnino tyrannus est & crudelitas mundi: qui cum homines per vitæ diem laboribus exhauriat, & molestijs fatiget, circa mortis vesperam, quando labores iam finiti sunt, sæpenumero ad inferos præcipites etiam deturbat.

Vix intrauerat olim Ioseph domum Putipharis Ægyptij; quin statim hinc eum heras ad peccandum inuitaret, & illinc herus in vincula coniceret: *Tradiditq; Ioseph in carcerem ubi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Ad eundem modum nobiscum agitur; vix namque existere in mundo cogitamus, quin statim hinc nos natura ad peccatum sollicitet, & illinc mundus, Putipharis Ægyptij exemplo, in peccati & mortis vincula conijciat; è quo nunquam egredi dabitur, nisi vt ad supplicium rapiamur. Vere igitur exclamem, ô mundo infelix & fallax!

Macedonum Rex Antigonus, cum de maiestate & dignitate regia sermo incidisset, dicere solebat, regiam potestatem aliud non esse quam splendidam quandam seruitutem. Multo hoc melius de dignitate regia miserî huiusce mundi dicere potuisses ô rex. Ipsa namque nihil aliud est, quam pulchra quæ-

Mundi vanitas ostenditur.

Psal. 136.

Gen 37.

Antigonus  
Regis A.  
populæ  
gma.



quædam captiuitas, & aurea seruitus. Et quemadmodum Naaman Syrus opibus quidem affluens, & regali more inducitur, sed corpus eius lepra oppletum erat: ita quoque mundus verus ille princeps, diuitiis quidem abundat, & aureus apparet; sed si quis penitus & propius eum intueatur, inueniet proculdubio lepra eum coopertum, putredine repletum, abominationibus repletum, & vitiiis scelestis que fœdatur; denique aliud nihil esse quam meram vanitatem, ac metas inanis. Cum ingentem illum Babylonis colossum contempler, cuius caput aureum, pedes vero lutei & fragiles, quippe ad minimi lapilli contactum in puluerem & in cinerem euanescent; veram & genuinam mundi imaginem mihi videor intueri. Intueor namque frontem eius splendore & auro effulgentem, honoribus & diuitiis nitentem, at pedes eius non nisi lutum sunt, terra, nihilum, nisi mera vanitas: quæ omnia in fumum abeunt, statim vt minimus fortunæ adue sæ lapillus incidit. Neque enim plus mundus firmitatis securitatisque habet, quam domus illa, de qua in Euang. quæ a rena inædificata, ad primam procellam ingruentem ad terram labitur. *Similis erit vtro stulto, qui edificabat domum suam super arenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta ruina iuu magna.* Cum enim ipse a rena vanitatis inædificatus sit ad primum fortunæ turbinem omnia concidunt, ita vt omnes, qui spem suam in eo stabiluerunt, in extremo discrimine versentur, & spe sua destituantur. Quin & adhuc multo inconstantior est, & munde, quippe qui non nisi mare, & mare quidem periculosum, procellosum, undosum, lapidibus & scopulis infame, fluxuum & refluxuum continuam vicissitudinem habens, in quo perpetuæ agitationes, mutationes assiduas, & continua inconstantia: de cuius amatoribus & incolis scriptum legitur: *Vidi impi in supero altatum & elouatum sicut Cedros Libani.* vide affluxum: *Transiui, & ecce non erat.* vide refluxum.

Mundus denique nihil aliud dici potest, quam Euripus quidam mille de die agnatio-

nes & fluxus secū deuehens, quam Protheus in omnes sese figuras conuertens, quæ Chamelcon omnes, sibi quibus inhærebat colores adaptans. Exempla requiritis? Romanæ camus, in qua velut in theatro, varia ludibrii mundi huius exempla spectabimus. Videbimus imprimis orbis illum potentissimæ Monarcham Julium Cæsarem, quinquaginta victoriis nobilem, tot præliis feliciter peractis insignem, viginti duobus vulneribus in curia, in conspectu totius senatus trucidari. O instabilem rerum fluxum, & fluxas fortunæ vices! Inde in Orientem secedamus, videbimus illic orbis fulmen, mundi domitorem, nouorum quinetiam mundorum inuestigatorem, Alerandrum Babylonem veneno extinctum, triginta ipsos dies, vt informe cadaver, iacentem, & sepultura honore, qui etiam vilissimo seruo non denegatur, destitutum. O fortunæ vices admirabiles! Videbimus deinde in carceribus suis, & Judæa, superbum illum Chanaanorum tyrannum Adonibezech, illum 70 olium regum regem, quos instar canum micis ex mensibus decidentibus aluerat, regno deinde exutum, & eandem fortunæ aleam experientem. O vicissitudinem varietatemque rerum! Quin & Sedechiam regem mihi velut in theatro proponis & Israel, qui cum diuitiis & opibus afflueret, magnamque rerum copiam eo acruasset, mundo latum auertente vultum, captiuus in Babylonem adductus est, filij eius crudeliter iugulati, thesauri direpti, oculi eruti, vxor violata, regnum denique euersum, & in seruitutem redactum. Hem quam procella & Alia inconstante munde; quam euidentia inconstantiæ argumenta! sunt & alia tragicæ huiusce fortunæ di exempla. exempla passim in Historicorum libris obuia, vt in primis de Imper. Roma. Valeriano: hic orbis imperium cum moderaretur, & a Persarum rege in captiuitatem abductus esset, eo inopia calamitatisque redactus esset, vt barbaro Euphrosia munus obiret, stapedemque teneat Persa equum conscendentem. Ecce & aliud instabilitatis mundi exemplum, non minus quam priora illa admirandum. Syracensiu ille tyrannus Dionysius tam iniquum fortunæ iratæ vultum expertus est,

Reg. 5.

Matth. 7.

Ind. 10.

4. Reg. 20.



vt amisso regno, sceptri loco ferulam in manus sumpserit, ludumque literarium in Graecia in senectute aperire fuerit coactus. An non haec vobis manifesta mundi vanitatis inconstantiaeque exempla videntur, Auditores? & mirabiles fluxus & refluxus? At parua sunt haec, si cum eo, quod mox narraturum sum, contulerimus.

Videte namque vt hodierna die Rex Regum Christus, hominum & Angelorum Saluator, ac Dei filius Ierosolymam ingrediat, vt acclametur vndique, Viuat Rex, viae circumquaque peristromatis circumuestiantur, rami per viam spargantur, faustae acclamationes perstrepant. Et ecce mutatis vocibus post quinque eum dies ad mortem deposcent. Tragica haec historia in Evangelij nostri theatro spectanda hodie proponitur: prologum D. Mattheus agit, dicens: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* Primus est actus in triumpho Christi, quo Ierosolymam ingressus est, consumetur: secundus mundi inconstantiam & varietatem spectandam dabit: & duobus hisce actibus totum tragodiae huius Argumentum comprehensum vobis exhibebitur spectandum. Quod ad primum actum spectat Euangelista magnum illum Christi triumphum & magnificentum eius in Ierusalem ingressum describens, eum ait asino insedisit & duodecim Apostolos piscatores veluti stipatores habuisse pauperes Iudaeae, veluti affectas & aulicos: loco peristromatum, ramos arborum, quos turbae in viis sternebant, tubarum loco, faustas & laetas populi acclamationes, clamantes: *Osanna in excelsis.* Spectamus in hoc introitu humilitate mixtum splendorem, atque sublimibus omnia mysteriis plena. Et sane nunquam Princeps ille introitum fecit, qui non semper magnificentum quid in se habuerit, ac quandam maiestatis speciem demonstrarit; in natiuitate namque sua, cum in hunc mundum ingrederetur, video stellas obuiam quodammodo procedere, Reges extremis Orientis regionibus excitos Bethleem eum adoratos magno comitatu aduolare; pastores e Iudaea montanis Angelorum excitatos contentu ad stabulum properare; Angelos in

aere, *Gloria in excelsis* modulari. Et ecce hodierna die, cum paucis post diebus mortuus sit, Ierosolymam ingredienti omnis ciuitas obuiam procedit, viae & compita vestibus insternuntur, musica symphonia vbiue perstrepit, atque omnes eum mortales velut regem agnoscunt. Et veluti Cygnus, cum morti appropinquat, suauissime concinit: ita quoque egregius ille Cygnus Iesus Christus, morti vicinus gaudet, exultat, plaudit, & omnia laetitiae carminibus replet.

Hic scilicet Veteris Testamenti figuras completas dicere possumus. Lego namque in Exod. agnum, qui in Paschate immolatus erat, s. ante diebus Ierosolymam: cum ramis arborum ex agro deduci oportuisse. Hic vero video agnum illum immaculatum Iesum Christum, ex agris & deserto Ierosolymam quoque cum gaudio & iubilo, ramisque arborum deduci, vt post 5. dies in monte Caluariae immoleretur. Filij Prophetarum, videntes spiritum Eliae in Helisaeum descendisse, obuiam illi venerunt, vt illum vsque Jericho deducerent, magnaque animi demissione eundem adorauerunt: at hodie Iudaei Patriarcharum filij, e miraculis, quae Christus edebat colligentes spiritum Dei inhabitare, obuiam illi procedunt, Ierosolymam urbem multo nobiliorem, deducunt, & honore ac reuerentia singulari intrantem prosequuntur. Quid amplius? David Rex post cladem Amelecitarum, spoliis onustus, & hostilibus exuviis ditatus, urbem Ierosolymam ingrediens, laetis populi applausibus, faustisque acclamationibus exceptus est dicentium: *Haec est pr. da David.* Hodie hanc figuram adimpleri videmus, namque dies est, quo David noster, Christus, deuictis hostibus, daemionibus scilicet atque omnibus inimicis prostratis, urbem triumphans ingreditur. An non auditis, vt milites eius, angeli nimirum in caelo, & homines in terra, qui omnes sub illius signis merent, in clamant: *Osanna in excelsis; Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Cum Deus Opt. Maxim. domum Achab & omnem posteritatem eius euertere decreuisset, Helisaeum Prophetam misit, qui Ichu

Cygnus  
morti pro-  
ximus su-  
uissime mo-  
dularur.  
Exod. 11.

Figura.

4. Reg. 1.

1. Reg. 30.

4. Reg. 9.



Iehu regem eius loco vinctum solio impone-  
ret regnumq; in eum transferret, qui quam  
primum vt in regem declaratus fuit, omnes  
statim subdita pallia pedibus eius substraue-  
runt & lætum insonuere clasticum, claman-  
tes, Viuat Iehu. Viuat rex Iehu. An non idem  
penitus hodie contingere videmus? Iesu  
Christo nempe in regem proclamato, & Je-  
rosolymam cum triumpho & iubilo intro-  
eunt, vt Satanæ regnum & imperium sub-  
uerat & destruat; omnes Judæos occurrere,  
vestimenta in via pedibus eius substernere,  
clara voce vbique inclamare: *Benedictus, qui  
venit in nomine Domini.* annon hæc figuræ suf-  
ficiunt? annon triumphus hic vobis admira-  
tionem inicit? quem dudum ante præuide-  
rat Propheta vaticinans: *Dicite filia Sion, Ec-  
ce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super A-  
sinam*

Zach. 9.

Conceptus  
in signis &  
modus in-  
tendi ad s.  
Communi-  
onem.

Exod. 19.

Ezai. 6.

Exod. 25.

Exod. 15.

Deut. 32.

Psal. 2.

1. Reg. 17.

1. Reg. 15.

Gen. 3.

Egredimini igitur filia Sion, animæ, in-  
quam, Christianæ, egredimini mundo re-  
busque mundi, & videte triumphum Chri-  
sti Iesu, relinquere negotia & turbas, prope-  
rate, vt eum cum triumpho Jerosolymam  
ingredientem videatis. Videte inquam, re-  
gem vestrum introeuntem, regem illum,  
Deum illum, Messiam illū, quem iam quin-  
que annorum millibus expectastis: ecce  
adeft hodie venit. Venite igitur, accedite,  
accurrite, nolite timere: non enim est Deus  
in monte Sinai fulminans & tonans: non est  
amplius Deus ille: nihil, Deus Sabaoth,  
Deus exercituum & potentiarum: non est  
Deus ille zelotes, vlciscens peccata patrum;  
non Deus ille pugnator, cuius nomen omni-  
potens: non ille, cuius manus semper arma-  
tæ sunt, & qui inebriat sagittas suas sangui-  
ne: non denique ille, qui regit gentes in vir-  
ga ferrea, & tanquam vas figuli confun-  
git eas; Sed est humilis ille Iesus Nazare-  
nus, qui venit tibi mansuetus, sed est humi-  
lis ille Dauid, qui hodie exarmatus con-  
tra Goliadam procedit: sed, qui olim, vindi-  
que armatus in iudicium contra stultū Na-  
bal, id est, peccatorem, procedet: Est humi-  
lis ille Noe, qui amore & misericordia e-  
brius, nuditatem suam, humilitatem, in-  
quam, & paupertatem, in arbore crucis toti  
mundo patefacturus aduenit, vt propter

eam ab omnibus Judæis exhiberetur; sed, qui  
excitandus aliquando, maledictionem in  
impiam eorum posteritatem euibrabit. *Ecce  
venit tibi mansuetus;* Plenus dulcedine &  
benignitate, nihil præter amorem spirans,  
non nisi de pace, de gratia & misericordia  
loquens; quid postulas amplius? quid ti-  
mes? insider ecce asinæ, principes eius  
non nisi piscatores sunt, milites & cohortes,  
alia arma non gestant, quam ramos ar-  
borum.

*Dicite filia Sion,* quam lætum nuntium, III.  
quanta læticia, & quam lætum iubilum, & Insignes  
animæ casta, filia Sion! Hodie namque & conceptus.  
*Tobia mater, misera, in qua, natura huma-* Tob. 10.  
*na, filium tuum adeo expectatum venien-*  
*tem vides. Hodie & Jacob, & scilicet Adam,*  
*tibi nuntius affertur, paruum tuum Joseph*  
*quem nunquam te viturum putabas, viuere* Gen. 45.  
*& regnare in tota terra Israel, regem quo-*  
*que Ierusalem esse declaratum, & breui to-*  
*rius orbis imperium adepturum, & iucundus*  
*nuntius!*

Sed quisnam tuus est introitus, & rex Isra-  
el! an tali ille dignus rege, qualē omnes  
te esse scimus? Quænam illa tua trium-  
phandi ratio est? Vbinam estis Angeli? Quid  
agitis Cherubin? Cui Dominum & regem  
vestrum non stipatis? Vbinam modo sunt,  
Daniel, millia millium ministrantium ei, & Dan. 7.  
decies centena millia assistentium ei? fierine  
potest Saluatorem meum tam humili habi-  
tu procedere? Video namque C. Cæsarem Triumphi  
Romæ in curru eburneo triumphantem, Romano-  
quem 40. elephanti trahebant: video Anto-  
nium à leonibus inuectum; Aurelianum ve-  
ro carpento, quod à ceruis trahebatur, insi-  
dentem, & ecce orbis Dominus & monar-  
cha hodie Jerosolymam asina inuectus in-  
greditur, in humili animali triumphum a-  
cturus.

Tradit adhæc Suetonius, nunquam Ne- Sueton. in  
ronem Romam ingredi solitum, nisi mille Nerone.  
rhedis stipatum, soleis mularum argenteis.  
Scostin quoque Aegyptiorum regem tra-  
dunt curru vehi solitum, quem quatuor re-  
ges sceptris & diademate superbi trahebant.  
Et sane vt Ethnicos relinquamus, Salomon 2. Paral. 9.  
Rex Israel habebat vt plurimum quadragin-



ca equorum millia in stabulis, curruum, equitumque duodecim millia. O ingentem regis alicuius priuati splendorem! & ecce regem ille rex Christus non nisi vilem & abiectam habet Asinam, ô paradoxa! ô res admirabiles!

Vbinam sunt modo Deus meus pennæ ventorum, super quas te ambulare tradit Psalmista: *Qui ambulat super pennas ventorum?* Vbinam sunt iam Cherubin, qui tibi loco sedium sunt: *Qui sedes super Cherubin?* Vbinam sunt currus illi triumphales, de quibus locutus est idem Psalm. *Currus Dei decem millibus multiplex Domine in eis in Sinai, in sancto.* O humilitatem, & paupertatem singularem! ô Philosophiam vere sanctam & admirabilem! Exclamat hic D. Joan. Chrysost. & extra sese quodammodo raptus admiratur: *Nascitur in praesepio, facit in deserto, conuiuia panibus hordeaceis celebrat, pauperibus stipatur, hodie Asina uelitur, nudus in cruce moritur.* Nec hoc nouum tibi videatur Chrysostome, sed cogites uelim, Principem hunc semper paupertatis, humilitatis, ærumnarumque nostrarum professionem fecisse; unde ait: *Pauper sum ego, & in laboribus diuinitus mea.* Pauper quippe fuit in natiuitate, pauper in toto uitæ cursu, pauper in introitu, pauper in exitu, pauper in morte, pauper denique & humilis in omnibus.

Joseph Patriarcha licet in tota terra Ægypti primus à Pharaone rege dominaretur, nunquam tamen prioris suæ conditionis oblitus est: quam ut magis magisque patefaceret, & generis sui ignobilitatem omnibus demonstraret, fratribus præcepit ut palam profiterentur, & coram Pharaone dicerent: *Viri pastores sumus, & patres nostri.* Refert quoque in Apophthegmatis Plutarchus, Agathoclem Siciliae regem siguli filium, ac qua forsitan inanis gloria titillatione ob regnum adeptum, aliorum extra mentis statum abriperetur, & ut prioris usque uitæ memor foret, uasa aliquot lutea inter aurea & argentea, in mensam semper uoluisse inferri. Lechas quoque Poloniae secundus Rex, qui ab aratro ad regnum uocatus erat, uelimenta sua rustica, quibus in agro usus e-

rat, in eminentissimo palatii loco uoluit suspendi; ut uestium ille assiduus intuitus, originis obscuritatem, generisque ignobilitatem ei semper in memoriâ reuocaret. Egregia profecto historia: at ecce hic aliam longe admirabiliorē; uidete hic Jesum Christum, qui, cum & Messias, & totius Judææ Rex ab omnibus haberetur, ut tamen humilis suæ conditionis, suæ infimæ originis, quæ ab infelici Adami progenie descendit, meminisset, inter medios honores & pompam regiam, humilitatis figura demonstrantem, & asinæ insiditatem.

Audite quæso benignis auribus, quæ mox diciturus sum Magni ille Thebanorum dux Epaminondas, cum insigni quadam patta victoria domum reuersus senatum reddere deinde certiorē uellet; multis uidequaque affluentibus, ut tam nobilem & tot uictoris insignem ducem uiderent, eique de uictoria congratularentur, ipse domo uili quadam ueste indutus egressus est, facie subtristi & ingressu uodam ad tristitiam composito. Quam subitam mutationem omnibus demirantibus, & causam eius sciscitantibus respondit: *Nimum heri mihi placuit: fortuna mutatio metuenda est.* Hic uero alte um Epaminondam conspicimus, omnium regum regem, & ducem ducem Christum Dominum, qui paucis abhinc diebus nobili illo miraculo in Lazaro resuscitando edito factu celebris, & hodie tot honoribus affectus, metuens ne fortunæ rota conuertatur, eumque ad infimum ignominie gradum deiciat, subtristior apparet, asinaque inuehitur.

Non est porro mi Domine, quod fausto hoc populi applausu te iactes, aut de lato hoc introitu nimum tibi gratuleris; non ignoras eam quænam parata tibi crux mala paritura sit, quibusque te supplicis affectura. D. cere iam poteritis, quod dixisse olim Philippum Macedonem tradit: cui eum tres eodem tempore læti nuntij afferrentur, Alexandri primum filij natiuitas, equorum deinde suorum in stadio Olympico uictoria; postremo urbis cuiusdam per aliquem e suis expugnatio: statim humi prostratus, oculisque in cælum sublatis dicere incepit,

Psalm. 105.

Psalm. 79.

Hom. 67. in Matth.

Psalm. 87.

Genes. 45.

Chron. Pol. l. i. c. 5.

Plut. in Epaminonda &amp; Apophtheg.

In signis conceptus.

Plut. Apophtheg.



cepit, fortuna moderare læticiam, ac tristi aliquo nuntio tantam felicitatem temperas ne postea simul omnia in caput meum ingruant infortunia. Id ipsum te dicere velim, ô mundi redemptor; cum ingentes hosce honores vides, cum faustum illum populi applausum percipis; dic audacter, ô fortuna, ô munde, ô synagoga, quibus me malis & calamitatibus referuatis!

Post celebrem illam victoriam, quam David de Amalecitis retulit, post communem totius populi læticiam, post applausum & acclamationem vulgi, tristis subito nuntius de profligato Israele, de morte Saulis & Ionathæ, omniumque fortissimorum Iuda, allatus est. Ad eundem quoque modum in magno hoc Christi Iesu triumpho, post tantas victorias quas de diabolis retulit, tristis de instanti passione, cruce, de morte denique ei parata allatus est; ei; omnia quæ impendebant reuelata. Cælitus namque intellexit post quinque sibi dies in crucis patibulo, idque in monte Caluarie, in totius orbis conspectu, esse moriendum.

O munde, quam merito te prius maris nomine nuncupavi, nihilque te esse dixi inconstantius? serine potest, ut tam iniquam in caput Redemptoris mei prodicionem pares? Hodie illum ut regem colis & adoras; & post quinque dies, ut latronem, cruci affiges. Hodie Cæsari eum præponis; & paulo post Barrabæ postpones. Munde impie & nefarie, similem te si Iobabo esse dixerò, non penitus erraturus videor; ille enim Abner, principem militiæ Saulis, benigne affatus, nefarie interemit: tu vero nequam & scelestè Saluatorem, meum honoribus prosequi videris; & cheu! ad crucem eum deducis, in qua eum deinde mori coges. Eadem tua simulandi ratio est, qualis fuit Simeonis & Leui, qui cum se amicos Sichemi fingerent, eidem inscienti & nihil minus cogitanti vitam eripuerunt. Quotidie apud te fieri, munde, cernimus, quod olim in aula Assueri Regis contigit: in qua Aman eodem quo cum Rege & Regina comederat die, sublimis in patibulo suspensus fuit. Eodem enim tempore, quo Messiam cælestem illum Regem, in te suscipis, eodem ei & necem machina-

ris. Ecce hic ô Iudæi redintegratum quod olim in Daniele peractum fuit; hic enim cum Princeps Satraparum & omnium purpuratorum caput, totiusque Babylonici Regni supremus denunciatus esset, postmodum in lacum leonum deiectus est. Opolum ingratum! Hodie inclamas, Viuat rex, & exaltetur Iesus Nazareus super omnes Principes terræ, & cheu! post quinque dies clamabis, inconstans & varians Chamæleon, Tolle, tolle, crucifige. O perfidiam inauditam! ô prodicionem singularem! ô nequitiam incomparabilem!

Ad vos redeo, ô animæ, & incepram de læto hoc ingressu materiam prosequor. *Ecce Rex tuus venit.* Accurrite omnes vnde quaque, properate animæ, ut lætum hunc ingressum contemplemini. Video namque hinc aliquos ramos ex arboribus præcidentes: diuites nimirum & magnates ambiciosos & eleuatos, nisi iudicans fallor; qui in summis arboribus honorum confidentes, in cedris nempe diuitiarum, Christo introeunte, superfluas & exstantes ramos amputant, ut eos ad pedes eius, id est, pauperes, prosternant: Illinc video alios vestimenta in vis sternerentes. Sunt sine dubio animæ penitentium, qui corpora sua castigantes, & omnes peccati exuias deponentes, ad crucis eas pedes deponunt, ibidemque terra obruunt, ut olim Iacob vxorum idola. Quando sol capiti alicuius ex diametro supereminet, tantus æstus & calor percussum inuadit, ut vestes exuat necesse sit. Ita quoque sole iustitias ex diametro Ierosolymæ superimminente, tactus in ea æstus, ut omnes sese exuant, eique vestimenta substernant. Video & alios, iucundissimo cantu æra permulcentes, & cantantes *Osanna in altissimis, benedictus qui venit in nomine Domini.* Sunt hinc iudicio homines, & ipsi etiam Angeli, qui memoriam passionis Dominicæ celebrantes, eundem semper præcedunt, mille laudes decantantes, & immensas gratias ob singulare illud Redemptionis beneficium agentes. Properate igitur, ut iucundum hoc spectaculum videatis; ante omnia vero, ut quo animo, qua læticia, quodque triumpho hodie

IV.  
Quid denotent ij qui ramos ex arboribus cædunt.

Quid ij qui vestes in via sternunt.

Quid ij qui Osanna in altissimis cantant.

Domi-



Dominus Ierusalem ingrediatur, cernatis.

Dicito mihi Domine Iesu, vnde hæc tam in/olita tibi lætitia, vnde hæc tanta tibi iucunditas? quare gaudium tuum tamis hisce triumphalibus, per faustam illam acclamationem populi, declarare voluisti? Omnes nimirum illæ externæ species, & triumphi, desiderium tuum indicabant, quod à tanto iam tempore conceperas, vt nostri causa aliquid pati posses. Ita namque prædixerat vates ille regius: *Exultauit sicut gigas ad currendam viam*, idque ad exemplum delphini, quem tradunt naturalium rerum auctores, exultare cum grauior tempestas impendet. Hinc primogenitus ille cœlestis, magnam illam passionis procellam impendere prælagiens, exultat, lætatur, ac triumphali iubilo animi sui gaudium restatur, Atque vt Egyptij in filiorum morte exultabant, ita totus orbis in morte infantis cœli, nescio quo occulto imminenti eius passionis instinctu gaudet & exultat. Hic denique cygno moriente cantus exauditur, & lætum in funere eius carmen funditur.

O amorem, & claritatem singularem! ô Ætnæos ignes! ô fornaces diuino æstuantis incendio, quæ filium Dei ad mortem impellit, & cruci suffigitis! Expressa sunt hæc omnia in rufa illa vitula quam immolari iussit Deus extra castra, cuiusque cineres in expiationem munditiæ legalis adhibebantur. Sed quare hunc potissimum colorem putauit Deum delegisse, nisi vt nobis rubicundum & cruentum humanitatis Iesu Christi sacrificium, quod extra Ierosolymam pro peccatorum totius mundi expiatione offerendum erat, declararet: & color ille rubeus ardentem illam charitatem, quæ cum ad hoc sacrificium peragendum impelleret, significabat. Ille est ignis qui cum interius hodie ita succendit, vt magna animi alacritate & gaudeus ad redemptionis nostræ sacrificium faciendum accedat. Et sane quis eum cœlo euocauit nisi charitas? quis eum flagellis, cunctis ferro, supplicijs, morti denique subiecit, nisi ardentes illæ charitatis faces & æstuantis salutis nostræ desiderium? Illa, illa charitas, de qua Salomon in cantic. ait.

*Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem*, est sine dubio dulce illud holocaustum, quod gloriæ paternæ, nostræque salutis amore æstuantis & succensum, in ignem passionis se proiecit, vt cineres eius, gloriosa scilicet membra, omnia mundi peccata & crimina expiant.

Quid bone Iesu? anne tibi adhuc animus est appausum illum populi excipere? an non amplius crucis meministi? Magna quidem fuit passio Domini, sed amor & charitatis erga te ô anima, quæ eodem illum impellebat, multo maior & vehementior. Contemplare obsecro sacra illius humanitatis vulnera, sunt illa tibi totidem quasi signa, & quodammodo fenestræ, per quas amorem in eius corde secreto æstuantem perspicere possis. Sed erro, & impono tibi, ô anima; non enim sufficiunt illa ad magnum illum charitatis ignem tibi demonstrandum: plus enim latet intrinsecus, quam patet deorsus; vix namque mediam amoris partem ipsa expressit passio. Cuius rei egregiam in libris Regum figuram intuetur. Scriptum est enim Salomonem in templo suo fenestras aliquas fecisse, quæ interius quidem erant latissimæ, ac exterius angustæ, adeo vt qui eas forinsecus videret, de earum interiori latitudine iudicare non posset. O sacra Christi humanitas, fuisti sine dubio templum hoc, & vos ô sacra vulnera totidem fenestræ per quas patet dilectio, quam erga animas nostras ostendit filius Dei vnigenitus; obliqua tamen facta estis, adeo vt grandiora sitis intrinsecus quam extrinsecus: & foramina exterius parua sint & exigua, si charitatem intus æstuantem consideremus, paratum mille iterum crucis, passionis notas, & vulnera multo grauiora & atrociora satiusque patientia perferre, quam hæc ipsa quæ gestat. Addo vt qui vos videat, de amoris illius magnitudine diiudicare non possit, is enim multo maior est, quam tota eius passio. *Obstupescite cœli super hoc*, sistite cunctum orbem cœlestes, ac videte mecum, filium Dei hodie in triumpho suo exultantem; ac post quinque dies in cruceem sustollendum. Lix illa quæ videt & penetrat omnia: factum

*Psal. 18.*

Exultat Dominus quando de passione loquendum est.

*Num. 19.*  
Figura.

*Cant. 8.*

*Pia meditatio.*

*3. Reg. 6.*  
Figura.

*Hier. 1.*



fructum passionis inspicit & prospicit, videt mundum passione sua redemptum, peccata remissa, cœlum apertum, Patrem hominibus conciliatum, tartara dispoliata, hominem saluti redditum, gratiam denique obtentam; an non igitur magnam gaudendi & exultandi segetem habet? Hoc ipsum scilicet est, quod toties, tamq; ardentè desiderauit, dicens: *Desiderio desiderauit hoc Pascha manducare.* O Iesu admirabilis, tu Salandra es, quæ in flamma velut in delicijs viuis & pascris: es rosa, quæ odorem effundis, & florem reseras inter medios aculeos; es struthio quæ durissimum passionis ferrum & chalybem digeris & consumis.

Iam vero tempus est, vt peccatis egrediamini, filia Sion, & videatis regem Salomon in diademate, quo coronauit eum mater sua in die letitiæ cordis ipsius, id est, die passionis, die triumphi & gaudij quem tantopere desiderauit. Egredimini igitur, abscindite ramos illos superfluos diuitiarum & opum, eosque ad terram prosternite. Deponite vestimenta illa vetera peccatorum vestrorum, *Exspoliantes vos veterem hominem*, vt ait Apostolus, clamate & cantate indefinenter, *Osanna filio David*, id est, Domine conserua te, vel, vt alia versio habet, Deus regem nostrum custodiat, & prospera cuncta ei succedant: felicem scilicet successum habeat ingens illud passionis, quod ei iam instat, certamen, & victor in eo euadat, atq; ideo his ad Deum Patrem verbis inclamemus.

O Pater æternè, omnipotens exercituum Deus, qui ab omni æternitate filiū dilectum ad munus debellandum in terram mittere destinaasti, vt homines damnatione eriperet, & pro peccatis nostris apud maiestatem tuā satisfaceret: quippe cum hodie ad crucis certamina, ad passionis prælia, ad Caluariæ bella immittis; *Osanna filio David*, feliciter regi nostro omnia succedant: *Domine saluum fac Regem*, ad bellum hodie properantem. Crudelia huud dubie illi imminent certamina, ô Pater, & graue ei instat bellum: nam vt omnis armorum vis in Regem Israel inclinabat, vt ait Scripturæ; ita timeo ne totus iræ tuæ & cholæræ nimbus, omnis dæmonum vis & potentia, omnes Iudæorum furæ &

*Tom. 1. Bessai Quadrag.*

rabies in vnicum regem nostrum exonerentur. *Osanna igitur filio David*, conserua illum; protege illum, cumq; ab omni grauiore periculo immunem præsta; *Osanna filio David.*

Tu vero sume animum, ô mundi Redemptor, salua te ipsum ô rex, fili regis, regū rex, & totius vniuersi monarcha. sume inquam animum & noli timere, moriens enim ad exemplum Sampsonis inimicos morte afficies. Eia age, spòdet namq; Pater, feliciter omnia tibi successura, non secus atq; olim Patriarchæ Iacob, percusso quidem sed tamen victoriam consecuto: vulneraberis quidem in cruce, & vulnere lethali, sed victoriam sine dubio consequeris. *Osanna igitur*, salua nos, tua nobis gratia succurre, vt postquam fidele tibi hoc in mundo obsequiū exhibuerimus, triumphumq; tuo in Ierusalem hac inferiori admirati fuerimus, multo gloriosorem & excellentiorem in Ierusalem cœlesti spectare possimus, vt te in æternum illic laudare & benedicere mereamur cœlesti beatitudine perfuentes.

## FERIA II. HEBDOMADÆ MAIORIS.

### De sacrosancto Missæ sacrificio.

#### Partitio.

- I. *Fuisse semper esseq; oportere sacrificium.*
- II. *De substantia Missæ.*
- III. *De perennatione Missæ cum Ecclesia.*
- IV. *De blasphemantibus Missam, & eam celebrantibus.*

*Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Psal. 109.*

#### FIGVRA.

Postquam dilectus Deo Abraham quinque Reges profugasset, & victor iam ad propria remearet, Melchisedech Rex, & sacerdos Altissimi in lege naturæ panem simul & vinum in gratiarum actionem de obtenta victoria Deo offerens, obuiam ei processit.

R r r

Q u o